

terram peregrinationis preter spem se transpositum deplorat et sic feritatem nefandi animi mitigat. Post hec comites matris in castris collocat ipsamque cum paucis Treverim perducens convivium instruxit. Cumque eam largiori cibo et potu refecisset, quasi cubitum cum ea perrecturus ad subterraneum specum perduxit et per aliquos gradus descendantem vi impulit et in precipitium, quod paraverat, ruere coegit. Cumque sonitum ruentis aure captasset, ilico columnas, que omne opus machine illius sustentabant, subruit ac super ipsam ruere fecit^a. Sic Trebeta liberatus a crimine incestus civitatem, quam condidit, castimonia ac religione dedicavit.

II^g. Post hec Trebeta^b, adiunctis sibi his qui cum matre venerant aliisque compluribus, qui propter famam industrie eius ad ipsum confluxerant, Cithini^c videlicet et Celtiberi, qui a Grecis vocati sunt Belladici, ripam Reni fluminis possedit et civitates inibi construxit et imperio Trevirorum subdidit. Instituit itaque Trebetha imperium Trevirorum anno millesimo C, ex quo Noë cum filiis suis de archa egressus est, eo tempore videlicet, quo Abraham in terra Chanaan repromissionem a Domino accepit. Duravit autem usque^d tempora Francorum.

Nam Avitus ultimus Trevirorum imperator luxurie deditus uxorem Lucii cuiusdam senatoris adulteravit. Venienti denique Lucio in palatium Avitus dixisse fertur: 'Pulcras termas habes, nam frigide lavaris'. Unde indignatus Lucius civitatem Clodoveo filio Deothmari, regi Francorum, tradidit, a quo incensa est et imperium destructum, imperante apud Romanos Ioviniano. Hec omnia facta sunt ordinante ac iubente domino nostro Iesu Christo, qui transfert regna et mutat imperia, semper^e incommutabilis permanens in secula^f. Amen.

Audite¹ preterea que miremini. Treveris est civitas Gallie nobilis, ubi senecio quidam, cuius hospicio usus sum per XII dies in suburbio civitatis, ferream effigiem Mercurii volantis magni ponderis ostendit in aere pendentem. Erat autem magnus, ut hospes idem mihi ostendit, supra in fornice itemque in pavimento, quorum naturalis

a) 'coepit' P. b) Fehlt in P. c) 'Cithuni' P. d) 'ipsum imperium usque ad' P. e) 'semper ipse' P. f) Dahinter 'seculorum' P.

1) Ueber die folgende mit den Gesta Trevirorum (SS. VIII, 146, Z. 13 ff.) zusammenstimmende Erzählung vgl. Bresslau im N. A. XVIII, 315, N. 6.